



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispvatio XV. De Duratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

ibi, ob eandem rationem. Alij casus excogitari possunt his similes, de quibus, sicut de precedentibus, fortè nihil dicitur certum: quia cum

de illis non habeamus experientiam, nec ex his, quæ videmus, quidquam possit inferri, non nisi diuinando discurretur.

DISPUTATIO DECIMAQVINTA.

De Duratione.

DURATIONE est forma illa, per quam res existit in tempore; sicut vbicatio est forma, per quam res existit in loco.

Dubitari potest, vtrum duratio dicatur quæcumque existentia in tempore, etiam si sit per vnicum instans; an verò requiratur persistens in esse. Quæstio est de solo nomine: probabilis reputo cum Hurtado Disputatione 17. Metaphysicæ §. 7. requiri persistens in esse; nam durare idem est ac perseverare, ex communi acceptione. Vnde duratio distinguitur à primâ existentia, sicut conservatio à primâ productione, solum per denominationem extrinsecam à præcedenti vel carentia alterius durationis in instanti antecedenti. Licet autem hæc ita sint, in rigore tamen Philosophico etiam ipsa primâ existentia dicitur duratio, & comprehenditur in hac Disputatione de Duratione. Imò nos (vt infra constabit) omnem durationem ponimus successivam & instantaneam: vnde licet ex parte ipsius subiecti detur propria denominatio durantis in hoc sensu Grammaticali, scilicet perseverantis in suo esse, ex parte tamen durationis nulla est perseverantia, sed vna alteri succedit, vnde nulla in eo sensu durat. An autem duratio sit ratio mensuræ, vel respiciat tempus imaginarium, & quomodo maior & minor sit, inferius constabit, explicatâ prius eius distinctione à re durante.

SECTIO I.

An duratio distinguatur à re durante.

INQUIRIMVS, an Petrus v. g. existere hodie & cras, sit aliquid intrinsecè superadditum ipsius substantiæ, sicut de vbicatione diximus Disputatione præcedenti; an verò sit denominatio quædam extrinsecæ ab ipso tempore vel reali vel imaginario, sicut de similitudine dictum est Disputatione 11. Logicæ, à num. 41.

Thomistæ nonnulli apud P. Suarez Disputatione 50. Metaphysicæ, sect. 2. num. 2. opinati sunt, durationem consistere in solâ mensurâ rei durantis cum tempore.

Hæc sententia Primò falsa est, Secundò intelligibilis, quia vel ad durationem requirit actualem commensurationem cum tempore, & hoc est omnino falsum. Licet enim nullum agens esset intellectuum quod mensuraret, vel si ea agentia omnia dormirent, & nihil de mensuratione cogitarent, proculdubio adhuc res magis & minus duraret in seipsâ, ergo duratio non pendet ab actuali commensuratione, & multò minus in eâ consistit. Sed nec requiritur mensurabilitas etiam in actu primo, propter eandem rationem: quia si nullus esset possibilis intellectus ea-

pax mensurandi, adhuc posset intelligi duratio. Quòd si nomine mensuræ coexistentiam cum aliâ re intelligant, etiam falluntur, quia Deus solus verè duravit ab æterno, nec mea duratio per se pendet ab existentia alterius, nisi quatenus est creatura (quæ vt sic pendet à Deo) quod non ex conceptu durationis, sed aliunde provenit. Adde, si hoc volebant dicere, Thomistæ, quid erat necellum recurrere ad eos terminos de mensuris? sed clarè per coexistentiam dictum id oportebat explicare.

Secundò principaliter reijciuntur; quia illa mensura vel mensurabilitas, est aliquid ab existentia rei durantis separabile; ergo per hunc modum dicendi non respondent quæstioni præfenti.

SUBSECTIO PRIMA.

Duratio distinguitur à re durante, & primum pro hac re argumentum.

DIVVS Bonaventura in 2. dist. 2. in 1. Partem art. 2. quæst. 3. distinguit durationem à re durante, sicut vbicationem à re vbicatâ, docetq; eam esse formam naturâ suâ constituentem rem in hoc vel illo tempore, sicut vbicatio constituit in hoc vel illo loco. Hanc sententiâ reputant probabilem Scotus in 2. dist. 2. quæst. 1. Richardus eadem dist. art. 1. quæst. 3. Vazquez 1. Part. quæst. 3. art. 40. dub. 1. ad 3. P. Salas Tomo 1. in 1. 2. tract. 7. disput. 2. sect. 12. quam & ego reputo probabiliorem cum recentioribus gravissimis, proboque Primò eodem argumento, quo supra ostendi distingui vbicationem, actionem, vnionem, &c. Quia hoc, quod est Petrus hodie durare, est aliquid reale, vt nemo negat; sed hoc est separabile ab existentia Petri, ergo est aliquid distinctum ab eâ. Consequentia est evidens. Minor probatur, quia Petrus existeret heri cum totâ suâ substantiâ & existentia, & potuit mori, quo casu non durasset hodie; ergo durare hodie realiter est separabile à substantiâ Petri, alioquin non posset esse substantia Petri, nisi duraret hodie; sicut non potest esse substantia Petri, quin sit animal rationale, quia hoc non distinguitur ab illâ. Aliquas solutiones huius argumenti, quæ sunt communes negantibus modos omnes, vide fuscè refutatas Disputatione 19. à num. 18. & Disput. 21 v. à num. 8. & 34.

Retorquent quidam hoc argumentum Primò contra eius auctores: quia, si tenerent consequentiam de connotatis, non videretur argumentum tam robustum, possent enim distinguere Antecedens hoc modo, Petrus & instans possunt absolute existere, quin coexistent, quantum ad entitatem, negatur Antecedens; quin coexistent quantum ad denominationem, transeat; ergo

coëxistentia est entitas superaddita, negatur consequentia. Sed in primis malè hi Doctores hoc argumentum putant solum esse eorum qui connotata admittunt, unde hæc non est instantia contra omnes. Secundò neque contra Connotantes, quia si illis conceditur, posse Petrum & instans existere sine denominatione coëxistentiæ, ipsi rectè inferunt, Ergo quando est talis denominatio, debet dari noua entitas: at nulla alia est nisi duratio intrinseca, vt & nos ostendemus infra, ergo.

8 Aduerte, istos Connotantes in hoc solo puncto ab his Doctoribus & aliis differre, quod admittunt denominationem nouam intrinsecam sine entitate intrinsecâ nouâ; at denominationem nouam sine nouâ entitate vel intrinsecâ vel extrinsecâ non admittunt in creatis; ergo, si nulla est alia noua entitas, à quâ ea denominatio durantis proueniat, non loquuntur minùs consequenter, dum durationem intrinsecam ponunt. Sed sæpè alibi eos ab hac obiectione defendi.

Addunt iidem, hoc argumentum etiam esse contra omnes; sic enim argumentantur: Duæ superficies se tãgunt per duas vbicationes contiguas sine vllò modo ab vtroque distincto, & tamen possunt illæ duæ vbicationes absolūtè existere quin se tãgant & coëxistant, quia vna potest existere successiuè post aliam in eodem loco, tunc autem non se tangerent, adduntque: non recurrendum ad durationem simultaneam, quia hæc non est ratio contiguitatis, sunt enim corpora contigua se ipsis. Vellent hi Auctores ne recurremus ad durationem simultaneam, quia per illam argumentum illorum prorsus nullum esse clarè ostenditur. Non tamen video, cur dixerint hoc non debere fieri: si enim se tãgere, est simul eodem tempore esse in eodem loco, quis vniquam negare poterit, in eo mutuo contactu includi mutuam condurationem, siue ea distincta sit, siue non? Quod si dicis, corpora esse contigua se ipsis, licet requirantur vbicationes, cur non erunt, etsi requirantur has simultaneas durationes? Vnde non benè docent, coëxistentiam duorum in tempore non includere durationem illorum: siue enim duratio distinguatur siue non, siue consistat in denominatione extrinsecâ à tempore siue non, peto, quid est coëxistere, nisi simul durare? durare autem simul nonne includit durare? Quid potest esse clariùs? Videamus iam quid nostro argumento absolūtè possit responderi ab aduersariis.

10 Respondebunt ergo Primò, durationem addere supra substantiam Petri non quidem formam aliquam realem, sed solum nouam connotationem ad tempus extrinsecum, & quia heri non dabatur ea connotatio ad tempus hodiernum, etiãsi daretur tota substantia Petri, adhuc Petrum non durasse hodie. Sed contrà Primò, quia si sermo sit de tempore reali, falsum omnino est, durationem connotare tempus reale, quia ipsum tempus reale durat, & non per connotationes ad aliud tempus: item Angelus existens ante omne tempus reale, verè duraret magis ac minùs, non secùs ac si esset productum tempus reale, & eodem modo, etiãsi esset impossibile omne tempus, aut quælibet alia creatura; ergo duratio non consistit in eâ connotatione ad tempus reale. Si verò sermo sit de tempore imaginario, contrà

Primò, quia hoc est purum nihil; ergo ex connotatione ad illud non potest desumi noua realis denominatio. Patet consequentia, quia denominatio realis est entitas realis, ergo non potest noua esse denominatio realis, sine nouâ entitate reali: sed nouum tempus imaginarium non est noua entitas realis, ergo nec sufficiens ad dandam nouam denominationem realem. Contrà Secundò, do tibi, illud tempus esse aliquid reale, & ex coëxistentiâ nouâ ad illud tempus posse desumi nouam denominationem realem, adhuc sic argumentor: Hoc quod est Petrum coëxistere huic tempori imaginariè, seu connotare illud, est aliquid separabile ab ipso Petro & ab ipso tempore imaginario, quia potuit esse vtrumque in rerum naturâ, quin inuicem coëxisterent, sicut de facto existerunt in rerum naturâ Adamus & dies hesternus, & tamen inuicem sibi non coëxistère; ergo hoc, quod est coëxistere, aliquid est ab vtroque distinctum.

Dices: Non potuerunt esse simul, quin coëxisterent. Sed contrà, quia hoc quod est esse simul, aliquid est distinctum ab vtroque, Deus enim videt in rerum naturâ existentes plures actus futuros in eternitate, & videt etiam existens hoc tempus, nec tamen videt illos coëxistentes huic tempori, seu existentes simul, ergo hæc simultaneitas distincta est ab existentiâ vtriusque, hæc autem est duratio, ergo. Confirmatur exemplo vbicationis, licet enim Petrus & hoc spatium imaginarium non possint existere indistantes inter se, quin Petrus existat hic, quia tamen Petrus & spatium absolūtè possunt existere, quin inter se sint indistantes, idè hoc quod est Petrum esse in hoc spatio, est aliquid distinctum à Petro & à spatio, ergo similiter hoc quod est Petrum coëxistere huic tempori, aliquid est distinctum à Petro & tempore; quia vtrumque potest à Deo videri existens, etsi non videatur vnum alteri coëxistens.

His solutionibus dissidentes illi quos impugnamus, præmittunt pro responsione, præteritum vel futurum non esse absolūtè ens, & absolūtè non existere, sed solum secundum quid, quod autem absolūtè existit, esse absolūtè de præsentia; unde inferunt Primò, non posse absolūtè Petrum & instans existere, nisi absolūtè sint simul: & vterius, ab absolūtâ vtriusque existentia non posse separari coëxistentiam; ex quo inferunt, falsò à nobis dici, posse existere Petrum & instans B. sine coëxistentiâ, & malè nos inferre, ergo illa coëxistentia est modus superadditus existentia absolūtæ vtriusque. Adduntque, Petrum qui durauit heri, non durare hodie, non prouenire ex defectu durationis, sed ex eo quod Petri substantia corrupta est. Hæc est tota eorum solutio. Eam autem clarè & facillè sic impugno, aduertendo ab istis accipi verbum *existere*, quod significat de præsentia & vnicum tantum instans, unde necessum est, vt si instanti & Petro conueniat existere actu, debeant actu coëxistere, sed in hoc ipso iam includitur duratio, quia iam ponitur Petrus existens in hoc instanti; & claritatis gratiâ (quod & cum hanc opinionem docui, obseruauimus) ponamus exemplum in tempore præterito vel in futuro, quod habet latitudinem, & ibi solutionis fallacia manifestè apparebit. Argumentor ergo sic: Antichristus absolūtè & simpliciter

pliciter erit in rerum naturâ, & crastina dies absolute & simpliciter erit, & tamen non erunt simul; ergo hoc quod est *erunt simul*, aliquid amplius dicit quam hoc, *absolute ambo erunt*. id est de præterito. Adamus verè, realiter & absolute fuit; item Abrahamus, siue tempus in quo Abrahamus existit, verè & realiter & absolute fuit, & tamen verè, realiter & absolute non fuerunt simul Adamus & Abrahamus, & cum tempore vero & imaginario Abrahami; ergo fuisse simul, aliquid est amplius quam absolute ambo fuisse, ergo ea simultaneitas est aliquid separabile ab existentia vtriusque. Vides hinc iam non posse recurri ad eos terminos *absolute & simpliciter & actu*, qui confundebantur accipiendo instans præsens, quod est vnicum, & tunc ponendo ambo durare, clarè sequebatur eos condurare seu coexistere inter se, condurabant enim eodem tertio. Sed hoc ipsum est ab eis & ab existentis separabile, & Deus voluit Adamum existere, & existere tempus hodiernum, & tamen non voluit ut existerent simul, quod tamen de me & de hoc instanti voluit; ergo hoc aliquid est superadditum meæ & instantis existentia, non dico existentia de præsentia, quia ibi iam est duratio, sed existentia secundum se. Hæc impugnatio & declaratio nostri argumenti tam ostendit euidenter intentum, ut non sit necessarium alia argumenta multiplicare.

Dices tamen: Deus, est videat futuram crastinam diem & Antichristum, non tamen videt eos coexistentes, quia non videt Antichristum extitum quando existit dies crastina. Benè verum id est; at Antichristum existere quando existit dies crastina, iam includit durationem crastinam, hanc enim includit illud *quando*, quia hoc est separabile à futuritione vtriusque, videt enim Deus vtrumque futurum, & non videt vnum futurum, quando alius est futurus; ergo aliquid amplius videret Deus, si videret vnum futurum, quando alius est futurus.

Respondent Secundò alij, assignando differentias inter vbiocationem & durationem, quia spatium imaginarium est fixum, ideoque non potest Petrus de nouo illi coexistere, nisi in ipso Petro mutatio aliqua fiat: at verò tempus imaginarium est naturâ suâ fluidum, ideoque sine mutatione in ipso Petro per solam mutationem & successionem temporis imaginarij confurgit in Petro noua denominatio *durantis hodie* vel *erit*; sicut in arbore iuxta aquas sita datur perpetua variatio coexistentia ad diuersas aquas sine mutatione arboris, per solam aquarum successionem. Sed contrà Primò, quia tempus imaginarium est omnino nihil, vnde per eius nouum aduentum non potest esse noua denominatio realis extrinseca, etiamsi per aduentum nouæ & realis aquæ, possit in arbore esse noua mutatio realis extrinseca. Contrà Secundò, licet Petrus iam existens in instanti imaginario, A. v. g. possit sine mutatione sui fieri præsens in instanti B. per solam successionem instantis, hoc tamen quod est Petrum fuisse productum in instanti imaginario A, est aliquid separabile à Petro & instanti A, quantumvis fluido, potuit enim produci in instanti B; ergo hoc, quod est Petrum coexistere in instanti A, aliquid est distinctum ab vtroque, quantumvis instans sit fluido.

Tertiò impugnatur solutio principaliter, quia Petrus adhuc existens in hoc instanti est indifferens, ut existat vel non existat in crastino, siue ut connotet vel nō connotet crastinum; ergo connotare in stans crastinum, nō habet Petrus præcisè per suam substantiam, ergo per aliquid distinctum, quod non potest esse ipsum instans, quia hoc etiam existet deficiente Petro; ergo per durationem distinctam, ex cuius aduentu Petrus existit in crastino instanti, ex eius verò negatione non existet in eo instanti. Ad exemplum ex aquis desumptum iam respondi. Nunc illud retorquere contra aduersarios pro me, quia quantumvis aquæ fluidæ sint, adhuc arbor non potest illis esse præsens, nisi per præsentiam distinctam ab ipsâ arbore, quia coexistere illis, est aliquid separabile ab arbore & aquis quantumvis fluidis; ergo similiter ob eandem rationem Petrum coexistere spatio imaginario, quantumvis fluido, aliquid erit distinctum ab ipso Petro & instanti, quia ab vtroque est separabile; fuit enim separabile à Petro, poni in eo tempore, in quo illi succederent hæc instantia, & non potius alia, sicut ab arbore fuit separabile poni in hac ripa iuxta quam tales aquæ fluere, & non alibi ubi non fluere illæ, sed alia.

SUBSECTIO SECVNDA.

Alia argumenta pro nostrâ sententiâ.

REPLICÆ suprà factæ respondebis, illam indifferentiam tolli per voluntatem Dei volentis creare Petrum in hoc instanti potius quam in alio. Sed contrà, (& sit hoc secundum argumentum efficacissimum pro nostrâ sententiâ,) quia voluntas Dei creando Petrum in hoc instanti, habet pro obiecto aliquid distinctum ab ipsâ substantiâ Petri, quia hæc eadem esset, etsi produceretur heri: hoc autem distinctum non potest esse ipsum instans, tum quia instans imaginarium est nihil, nec creaturâ Deo, vnde non terminat voluntatem Dei; tum quia instans existet suo modo, etiamsi Petrus non existat in eo. Et ut argumentum habeat maiorem vim, do tibi, tempus imaginarium esse aliquid reale creabile, adhuc ibi est necessariò dicendum, voluntatem Dei de creando Petro in hoc instanti potius quam in alio, habere pro obiecto aliquid aliud ab ipso Petro & ab instanti, scilicet simultaneitatem vtriusque, quæ est separabilis ab vtroque, & consequenter distincta; ergo duratio, quæ in illâ simultaneitate consistit, est distincta à Petro & ab instanti, quantumvis hoc fluido sit & reale.

Confirmo & explico hoc argumentum: quia enim Deum voluisse creare Adamum in Paradiso, duo involuit, & creationem Adam, & in Paradiso, primumque est separabile à secundo, ideo ponitur & ab his cum quibus ago, & ab omnibus benè sentientibus, vbiatio distincta, quæ sit obiectum voluntatis diuinæ, & quæ Adamus fuit in Paradiso. Ergo eodem modo sine vllò discrimine, dum voluit illum creare eo tempore potius quam hodierno, duo ab æterno voluit, & creare Adamum, & insuper in tali tempore: hoc autem est separabile à primo, quia potuit velle illum creare, & creare illud tempus, & non velle creare Adamum in illo, sed hodie, quando me creat; sic-

ut potuit illum velle creare in meâ patriâ, & non in Paradiso; ergo aliquid assignandum est distinctum ab existentia ipsius Adami & temporis, quod explicetur per vocem illam in *ali tempore*, & quod sit speciale obiectum illius voluntatis diuinæ, quodque non haberet illa voluntas, quæ illum hodie voluisset creare, & habet ea quæ me vult hodie conseruare.

22. Respondebis Primò, Petrum durare in hoc vel illo instanti, esse denominationem sumptam non ex mutatione aliquâ factâ in Petro, sed ex diuersis Dei voluntatibus, non quidem diuersis ex parte obiecti (hoc enim est impossibile, nisi in ipso Petro detur diuersitas) sed diuersis ex parte ipsius voluntatis, sicut differunt apprehensio & iudicium, actus copulatiuus & disiunctiuus, non ex obiecto, sed ex modo tendendi ad illud. Sed contrâ Primò, quia inintelligibilis est ea diuersitas actuum voluntatis Dei præcisè ex modo, & non ex obiecto in præsentî casu. Contrâ Secundò, quia pari ratione etiam posset negare distinctionem vocationis, vnionis, actionis, &c. & reducere id in diuersas voluntates Dei ex parte modi, quod esset euertere omnem bonam Philosophiam. Non est ergo id præcisè reducendum in actus diuersos Dei, sed in diuersas formas intrinsecas Petro, quas *durationes* dicimus.
23. Tertiò, quia quomodo Petrus potest concipi in se minus vel magis in hoc aut illo instanti durare solum ex eo quod Deus hanc vel illam voluntatem habeat, si per eam nihil ei addit nec adimit, nihil in eo immutat?

Tertiò probatur argumento, quo supra impugnauimus secundam responsionem aduersariorum. Nam Petrus durans hodie, est indifferens ut dureret vel non dureret cras; ergo durare hodie est quid distinctum à durare cras; nihil enim potest esse indifferens ad seipsum.

- Noua nobis hic iterum cum recentioribus concertatio: volunt enim hoc argumentum esse potius contra nos, quàm pro nobis, vel saltem hoc argumento probari, existentiam esse successiuam & distinctam ab essentia, quia existentia hesternâ est separabilis ab hodiernâ; nam etiam ex suppositione quod Petrus heri exiuit, potest non existeret hodie, quia potest corrumpi à Deo. Sed in primis facillè apparet, essentiam Petri heri & hodie non minùs esse eandem, quàm essentiam Petri hîc vel Romæ postea existentis. Quando autem dicitur, *existentia hesternâ non est hodiernâ*, est ibi æquiocatio; existentia enim seu essentia eadem est; illud verò per quod constituitur in ratione *hesternâ* vel *hodiernâ*, non est idem, sunt enim distinctæ durationes, sicut existentia mea Romana vel Pragensis eadem est, sed formæ quibus constituitur Romæ & Pragæ, sunt diuersæ. nec video quale mysterium specialius viderint hi in duratione, quàm in vocatione, quoad punctum hoc.

- Quod autem dicunt, existentiam hesternam separari ab hodiernâ, quia postquam heri exiuit, possum non existeret hodie, hoc, inquam, idem est ac si dicerent, existentiam meam Romanam separari à Pragensi, & inde velint inferre non solum vocationum diuersitatem, sed etiam & existentiarum. Nonne vident eandem vtroque rationem? Respondeo ergo, existentiam hesternam non separari ab hodiernâ, sicut homo albus nō separatur à seipso postea nigro, sed ipse transi-

ex albo in nigrum, vel manet semper albus; ita dico in existentiam hodiernam mutari hesternam per mutationem durationum, quâ in ratione hesternâ vel hodiernâ constituebatur: quando autem hodie non existit, non separatur existentia, sed illa existentia hesternâ caruit duratione *hodiernâ*, à quâ eam denominationem debebat habere: sicut quando homo albus non transit in nigrum, non separatur ab entitate quæ denominanda & futura erat nigra, sed præcisè est denegata nigredo. quid hoc clarius?

Quod si adhuc propter eam separabilitatem *hesternâ* & *hodiernâ* velint nos hoc argumento vregere, qui tamen ponimus aliquod reale quod existerit, & aliquod aliud quod fuerit negati, quid erit in sententiâ ipsorum, qui nihil prolius ponunt de nouo?

Argumento autem respondent in formâ, durationem hodiernam deficere ex eo, quod non manet hodie existentia hesternâ: vnde si illa maneret, maneret etiam durans hodie. Sed contrâ, quia hoc non est ad rem: certum enim est, si hodie res sit, eam hodie durare, sicut si res est Romæ, certum est eam ibi esse vbiatam. vnde si malè responderet, si diceret, vocationem Romanam non esse distinctam ab existentia, quia si existat Romæ, habebit existentiam Romanam; ita malè dicunt, durationem hodiernam non distinguere à substantiâ, quia si hodie sit ea substantia, hodie durabit, ibi enim iam supponunt durationem ipsam. Manet ergo totum meum argumentum, scilicet ab existentia meâ extra causas potuisse separari hodiernam durationem, ut patet in eo qui nascetur, vel in eo qui mortuus, qui tamen absolute habituri sunt existentiam extra causas; ergo hoc quod est manere hodie, vel durare hodie, separabile est à meâ existentia extra causas, prout existeret extra causas abstrahit ab hoc vel illo tempore; ergo ea duratio aliquid est superadditum.

Respondebis vterius: Sicut tu ponis hominem durare, quia illi adueniunt nouæ durationes, ita ego dico illum durare, quia adueniunt illi noua instantia realia, nec necessariam esse distinctam durationem. Sed contrâ euidenter Primò, quia hæc durationes sunt aliquid reale, & possunt dare eas denominationes: at tempus est purum nihil, & consequenter ab eo formaliter nulla realis denominatio potest desumi. Contrâ Secundò & efficaciter, quia Deus videt Antichristum futurum, & instantia erastina futura, & non videt futura simul, ut & supra dicebam, nec videt hæc instantia aduentura Antichristo; ergo si vidisset ea illi aduentura, aliquid vidisset distinctum à futuritione vtriusque. Neque video, quid hoc clarius esse possit. In durationibus autem ipsis res aliter se habet, quia non potuit Deus videre futuras eas durationes & vniones earum (si sint res, ut ego dixi) nisi videat simul futuram Petrum tali tempore. quid ergo mirum, si illa simultaneitas vel aduentus durationum non sit ab vtroque distinctus?

Dices: Illa voluntas, quâ Deus vult conseruare Petrum, est prior ad volitionem durationis, quia existentia Petri est ante durationem, & ex vi illius voluntatis videtur Petrus conseruatus ante omnem durationem distinctam; ergo hæc non requiritur. Respondeo facillè, voluntatem diuinam

nam posse dupliciter considerari, vel ut vult dare existentiam Petro, & ex vi huius voluntatis Petrus existit, non tamen potius in hoc quam in illo tempore, sicut ex vi huius voluntatis non potius existit Praga quam Roma; & hoc modo præcedit præcisè ea voluntas pro priori naturæ ante durationem, sicut & ante vocationem. Ratio à priori, quia quæ se tenent ex parte causæ ad durationem, sola est substantia existentia. Aliter potest ea voluntas sumi, prout est voluntas conferuendi, & quidem in hoc instanti & ut sic iam vult formaliter durationem, quia conferuatio dicit ordinem ad durationem præcedentem, & ad subsequenter. Imò addo, voluntatem conferuendi ut sic non dicere hoc instans, nam de Adamo habuit voluntatem conferuendi illum per decem annos v. g. & me etiam per decem, & non tamen per eodẽ decem; ergo velle conferuare per hos decem, aliquid est distinctum à voluntate conferuendi illum absolute, hoc autem est formalissimè duratio.

Vltimò eandem sententiam confirmo, quia magis minùve durasse, non potest intelligi sine pluribus vel paucioribus durationibus distinctis: si enim est eadem indiuisibilis existentia, cur, obsecro, magis hæc quam illa durat? Respondebis, quia fluxerunt, eam permanente, plures partes temporis. Sed contra Primò, quia iam supponis eam tempore longiori permanisse, in quo inuoluis ipsammet durationem: cum enim ea res de se sit indifferens formaliter, ut plus minùve permaneat, aut det locum pluribus aut paucioribus partibus temporis, ut possint fluere, oportet ut hæc indifferencia formaliter determinetur per durationes ipsas, quia per tempus non determinatur, nec per ipsam existentiam. Ratio à priori est, quia successio temporis imaginarij pergit, siue Petrus daret siue non; ergo per illam nec limitantur, nec dilatantur termini vitæ Petri, nisi ipse in se aliquid habeat, quo respondeat secundo instanti, & non tercio; hoc autem non est ipsa existentia, quia hæc est indifferens ad respondendum pluribus vel paucioribus, his vel illis; ergo debet esse per aliquid de se ad hoc determinatum, quales sunt duæ illæ durationes.

Contra Secundò, quia tempus imaginarij nihil est, sicut in simili dixi de spatio imaginario supra, ergo ab illo non potest desumi realis maior vel minor longitudo. Huic impugnationi respondent aliqui, illam maiorem longitudinem desumi non à tempore existente, sed possibili. Sicut, Pompeiopolis distat à Lucronio leucas quatuordecim; si Deus auferat illud spatium intermedium, eodem modo distabit. idem est in duratione. Sed facile impugnat hæc solutio Primò, quia in exemplo posito dantur in vrbe Lucronienſi & Pompeiopolitanâ vocationes distinctæ, quæ essentialiter fundant illam distantiam talem, ut possint interponi aliæ vocationes quatuordecim leucarum: quid ergo mirum, si detur ibi tunc eadem distantia? At in Angelo solo existente quid est, vnde nos vel Deus ipse potuerit metiri, quamdiu durauerit? Non ipsa substantia Angeli, quia hæc fuit indifferens ad maiorem vel minorem durationem: non tempus extrinsecum elapsum, quia nullum fuit; non imaginarij, quia est purum nihil; non durationes superaddite, quia nullas admittunt; non tempus rea-

le, quod potuit effluxisse, quia ut sciatur quàm longum tempus durante Angelo potuerit effluxisse, debet prius sciri quàm diu ille durauerit, tunc enim dicitur, ergo potuerunt tot vel tot anni interponi. Vel peto ut dicant mihi, vnde nouerunt, potuisse tot & non plures nec pauciores annos reales fluxisse.

Dices, Quia tamdiu permansit. Ergo iam primò in seipsâ permanentiam nouisti, & tunc illam potuisti mensurare cum annis possibilibus. Rationem à priori euidentissimam reddo, quia anni possibiles sunt diuersi, multi & pauci, ergo ex illis nihil certò potest cognosci, quid de facto determinatè fuerit in Petro, nisi videatur longitudo durationis in seipsâ; sicut ex magnitudine possibili non possum metiri quæ sit de facto distantia duarum rerum aut earum magnitudo, nisi hæc habeant in se aliquid intrinsecum quo determinentur, ut tantæ sint, & non maiores. Hæc cum aduersariis.

Alias solutiones quæ à negantibus in vniuersum omnes modos adhiberi possent, vide impugnatæ supra dum de actionis & vocationis distinctione actum est.

Iam cum amicis, qui nostram sententiam tuerentur, sed non bene eam probant, paucis agendum est: arguunt enim, Si duratio non esset distincta, non posset Petrus v. g. hodie amare & cras odio habere. Hoc argumentum vel non est distinctum à nostris, vel nihil valet: si enim hoc argumentum innititur eo principio, quod amor, si non dureret per durationem distinctam, eo ipso quod hodie durat, debet etiam durare cras, & consequenter cras impediet odium, bene concludit, sed reducit ad argumentum supra factum; si verò innitatur in eo, quod licet cras non sit exiturus amor, tamen eo ipso quod sit eadem duratio Petri, qui hodie amat & qui cras existit, non poterit etiam destructo amore postea odio habere. Hoc, inquam, modo nullam habet vim, quia si iam non existit amor, quid interest esse idem subiectum & eandem durationem, ut ab amore, qui iam nihil est, excludatur odium? Non ergo hoc modo vim habet argumentum.

Alia argumenta, quæ possunt fieri pro hac distinctione durationis, reducuntur ad præcedentia: ex ratione enim non potest aliunde solidè probari. Secundò tamen probatur auctoritate Patrum, qui persæpe docent, in eo differre durationem creaturæ ab æternitate Dei, quod hæc est tota simul, duratio autem creaturæ habet esse præsens, præteritum, & futurum: quod nequaquam potest intelligi, nisi concedatur in creaturâ duratio distincta & successiua, alioquin idem erit in illâ præsens, præteritum, & futurum, sicut & in Deo. Videantur Boëtius lib. 5. de Consolatione, prosâ vltimâ; Anselmus in Monologio cap. 18. 21. & 24. Augustinus lib. 11. Confessionum, cap. 14. & Tractatu 99. in Ioannem; Gregorius lib. 4. Moralium cap. 27. Petrus Damianus Epistolâ 4. de Omnipotentia Dei, cap. 6. Bernardus Sermone 8. in Cantica; & Ilidorus lib. 1. Sententiarum, & de Summo bono cap. 6.

Respondent nonnulli, ab his Patribus solum affirmari, Deum habere omnia bona semper & indefectibiliter, neque in eo esse aliquid amissibile, secus in creaturis: hinc autem non inferri, durationem esse distinctam à creaturâ, quia et-

iam si non distinguatur, creaturae sunt defectibiles, nec bona quae habent, continenter in illis durant. Sed contra, quia si creaturae per suam substantiam, & non per durationem distinctam durarent, non possent, semel productae, à Deo annihilari, iuxta dicta supra, nec possent ea bona esse successiva; ergo non possunt explicari Patres, si negetur distinctio durationis.

- 38 Alij verò respondent, etiam si SS. Patres à contrarià sententià, adhuc non esse timendum ab eis discedere, quia materia hæc est Scholastica, & opposita sententià defenditur à valde multis Scholasticis. Hæc solutio non potest tam facile reici, ideoque in tantum auctoritati Patrum, qui non ita clarè locuti sunt, in hac difficultate fido, in quantum ratione efficaci supra adducta suadetur.

SUBSECTIO TERTIA.

Aliqua argumenta contra nos soluta.

- 39 CONTRARIA sententià, scilicet durationem non distinguere à substantià rei durantis, communis est inter Scholasticos. Eam defendunt P. Suarez, Disputatione 5. Metaphysicæ, sect. 1. num. 5. P. Valquez 1. Tom. in 1. Partem, Disputatione 11. cap. 3. Molina 1. Parte, quæstione 3. disput. 2. art. 4. Gregorius de Valentia 1. Tomo, disput. & quæst. 10. puncto 3. Hurtadus Disputatione 17. Metaphysicæ, sect. 2. apud quos videri possunt antiquiores illius Patroni. Moueri possunt rationibus vniuersalibus, ob quas negantur omnes modi distincti. Verum his abundè satisfeci Disputatione 1x. à num. 35. & alibi, agens de actione & vicatione. Iam verò specialiter potest obici Primò, non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi durationem, ergo. Probat Minor exemplo Dei durantis in diuersis temporibus sine duratione distincta. Sed nego Minorem, ostendi enim Subsectionibus præcedentibus necessitatem distinguendi durationem. Exemplum à Deo petum non est ad rem, sicut si quis vellet inferre, non distinguere à nobis vicationem, aut actus intelligendi & amandi, quia non distinguuntur in Deo. Disparitas est, quia à creaturâ potest separari hoc quod est durare hodie vel cras, non autem à Deo; unde non mirum, si ab illâ distinguatur duratio hodierna, non verò à Deo.

- 41 Sed vrgebis: Etiam à Deo separatur hoc quod est durare hodie, nam heri existerat totus Deus, & non durabat hodie; ergo. Respondeo, Deum, etiam si heri non duraret hodie, nihilominus heri essentialiter fuisse determinatum ut duraret hodie, ideoque non potest Deus non durare hodie, quo differt à creaturâ, quæ ita est indifferens hodie ad durandum cras, ut etiam adueniente crastinâ die, possit creatura non durare; quod non potest intelligi, nisi durare cras, illi proveniret ab aliquo distincto, quod in Deo non requiritur.

Et ut perfectius solutionem teneas, aduerte quando dicimus, *Deum hodie non durare cras*, nihil aliud à nobis intelligi, quàm hodie non existere ipsum cras; etiam si hodie existat in Deo tota ratio quæ cras existit, sicut possumus etiam dicere, *Deus hic non est ubique*, id est, hic non est

omnis locus, licet hic sit in Deo tota præsentia & immensitas quæ est ubique: & sicut ex eo, quod Deus hic non sit ubique, non potest inferri, hoc quod est esse ubique, esse quid separabile ab ipso; ita nec potest inferri, ex eo quod Deus hodie non duret cras, esse ab ipso separabile hoc quod est durare cras; sed præcisè inferitur, *hodie & cras non coexistere sibi*. Ideoque rectè Hurtadus Disputatione 17. Metaphysicæ §. 32. cum P. Suarez docet, non posse dici Deum plus durasse hodie quàm heri, sed solum plus temporis coexistisse Deo, ut sic enim dignus de illo sentitur: ex hoc autem quis non videat, non posse argui ad creaturas, quæ nec hodie durant cras, neque ex suâ essentiâ petunt durare cras? unde hoc debent habere per aliquid à se distinctum, sicut & esse in loco ob eandem rationem distinguuntur à creaturâ, non autem à Deo.

Secundò arguit: Quia res in priori naturâ ante ipsam durationem verè durat, quia est producta extra causas, & tamen tunc non habet durationem distinctam; ergo sine duratione distincta potest res durare. Confirmatur, res producta in instanti A. v. g. accedente instanti B est prior naturâ quàm duratio, quia est causa materialis illius, ergo est in illo priori existens in instanti B, ergo durans in instanti B; quia durare in instanti B, nihil aliud est, quàm existere in instanti B; ergo non requiritur duratio superaddita. Hoc argumentum non vrget, & in primis retorquetur contra eius Auctores in vicatione, antecedenter enim ad vicationem res existit in rerum naturâ, & consequenter videtur debere existere in aliquo loco, ideoque non egere vicatione distinctâ, cum tamen non audeas eam negare. Respondeo igitur absolute, pro illo priori, quo res intelligitur ante durationem, non intelligi nisi solam substantiam Petri v. g. quæ de se est indifferens ad durandum hoc vel illo tempore; sicut in priori naturâ ante vicationem solum intelligitur substantia Petri de se indifferens ad existendum hoc vel in illo loco. Ratio à priori est, quia signum illud naturæ, est præcisè signum causalitatis, unde in eo solum intelligimus ea quæ se tenent ex parte causæ: cumque duratio & vicatio non sint causæ materiales, nec conditiones tenentes se ex parte causæ ad se ipsas sustentandas: inde fit, ut non concipiantur in illo priori, sed solum substantia Petri, quæ sustentat vicationem & durationem. Ex quâ doctrinâ facile responderetur argumento, concedendo, rem ante durationem existere extra causas; negando tamen, ideo formaliter durare, quia hoc dicit esse in hoc vel in illo instanti determinatè, quod non habet in illo priori: sicut ob eandem rationem, licet in priori naturâ ante vicationem res existat, non tamen est vicata, quia hoc dicit esse in hoc vel in illo loco, quod provenit ab vicatione subsecutâ, à quâ præcedebatur in priori naturâ. Ad confirmationem respondeo, in eo priori naturâ non posse intelligi rem existentem in hoc instanti, quia id provenit formaliter ab ipsâ duratione, à quâ in illo priori præscinditur; tunc enim solum concipitur essentia Petri, quæ de se est indifferens ad durandum hoc vel in alio instanti, sicut in simili de vicatione dictum est.

Aliter Tertiò eandem nostram sententiam nonnulli recentiores impugnant Primò, quia si

ob aliquam rationem distinguenda esset duratio, ea esset, quia per vnicam rationem indiuisibilem non posset quis respondere diuersis partibus temporis. Sed hoc non obstat, quia in nostra sententia eadem existentia indiuisibilis est successiva cum eis diuersis durationibus. Sicut ergo, aiunt, cum diuersis partibus temporis intrinsecis ea existentia fundat eas diuersas denominationes, cur non & eadem fundabit cum diuersis partibus temporis extrinsecis? Sed qui hoc argumentum videntur percipisse nostram sententiam vim: non enim sic arguimus, quia essentia est indiuisibilis, duratio debet distinguere; hoc enim in Deo manifestè constat esse falsum, imò docui etiam (quod & infra repetam) in creaturis posse esse aliquam durationem indiuisibilem, quæ respiciat tempus diuisibile: non ergo argumentamur ab indiuisibilitate (vt malè hi supponunt) sed ab indifferentia, quod possint videri futura, & subiectum, & tempus, abiquè eo quod videantur coexistere; ergo esse coexistencia est aliquid diuersum à futuritione vtriusque. vnde illis concedo, si non posset videri futurus Petrus, & futurum tempus reale, vel imaginarium, nisi viderentur futura inter se simul, non facerem vim in eo quod esset extrinsecum vel intrinsecum, vt isti putant, quo corrumpit tota eorum obiectio.

48 Quando arguunt pro se: Quando vna res est successiva, potest seipsa tollere ab aliâ permanente indifferentiam ad coexistendum diuersis partibus, quin in re permanente sit aliqua mutatio intrinseca, vt in arbore iuxta aquas plantatâ, quæ immota manens ex successione aquarum, iam his iam illis aquis respondet; sed tempus est successivum, ergo sine mutatione in homine, ex solâ temporis successione variabitur in homine ea denominatio. Hoc argumentum debilius est præcedenti, quia tunc tollitur illa indifferentia, quando illæ duæ sibi per se coexistunt: at si possunt videri futura sine futura coexistentia, possunt videri futura sine eo quod vna tollat indifferentiam alterius; ergo, vt successiva tollat in futurum indifferentiam permanentis, aliud requiritur quam futura vtriusque existentia. Ad exemplum de arbore iam respondi supra, etiam tunc esse distinctam vocationem.

49 Sed vrgent: Illæ vocationes possunt videri existentes sine coexistentia, ergo vt coexistant, egentalis vocationibus, & sic in infinitum. Sed & huic replicæ respondi, coexistentiam earum vocationum requirere durationem vtriusque: quia, vt ego tangam Petrum, duo requiruntur, & vt eodem tempore cum illo existam, quod provenit à durationibus; & quod in loco non distanti, & hoc provenit ab vocationibus, quam solutionem, quia tam est evidens, non libenter audierunt hi, vt supra notavi.

50 Vt autem hæc & alia argumenta, quæ ab his recentioribus fiunt, nulla esse cognoscas, reuoca in memoriam ea quæ dixi, dum impugnarem solutionem ab ipsis ad nostra argumenta datam. Obseruavi enim, eos semper vt exemplo de presenti, in quo quia tantum est vnicum instans, eo ipso quod Petrus & tempus dicatur existens, necessarium est, vt ambo inter se coexistant in eodem instanti, quia de presenti solum est vnicum. Vnde rursus inferunt, non esse necessariam distinctam durationem: quod perinde est, ac si loque-

rentur de vno puncto loci, nec aliud esset possibile; tunc enim proculdubio si duo existerent, necessario deberent in eodem loco existere. Ideo illis respondendum est, semper in talibus argumentis ab ipsis supponi iam, quod volunt probare: ponunt enim Petrum existentem de presenti, quod non habet nisi per durationem distinctam; nam existere de presenti, iam est in hoc instanti, & consequenter si supponamus sine duratione in hoc instanti existere, proculdubio non egebit duratione. Sicut si ponatur in hoc loco sine vocatione, non egebit duratione. Neque ego vniquam sumo illud existere, quando dico, Petrus potest existere & non in hoc instanti; non, inquam, sumo de presenti, vt malè ipsi videntur intellexisse: sed existere, prout abstrahit à præterito, presenti, & futuro: quod propterea clariùs explico per *existit* vel *existet*, vbi nec est locus æquiuocationi, nec ad supponendum idem quod intenditur probari.

Hinc intelliges, quomodo in argumento ipsorum, desumpto ab eo, quod si existente Petro existat tempus vnius horæ, durat Petrus vnâ horâ, supponunt quod debent probare; imò omnia argumenta quæ ab ipsis fiunt, ad hoc vnum reducuntur; semper enim sumitur hoc idem Antecedens, *si existente Petro existat tempus, durat simul*, &c. quod iam satis abundeque explicatum est.

Argumentum verò ipsorum à priori de voluntate diuinâ conseruandi Petrum, quæ habet distinctum obiectum à duratione, eo quod existentia præcedit ad durationem; ergo ex voluntatis circa existentiam perseuerat, ergo sine duratione distinctâ: hoc inquam argumentum solui supra dupliciter. Primò, quia voluntas conseruandi vt talis, iam dicit durationem, neque vt sic præcedit præ priori naturæ ad durationem, quia causa recipiens durationem non est existentia cum eâ denominatione, sed secundum se. Aliter etiam, quia licet volitio conseruandi præcederet, potuit tamen Deus velle me conseruare per decem annos, non tamen per hos, sed per alios; ergo conseruare me per hos, aliquid est diuersum à conseruare vt cumque.

SUBSECTIO QUARTA.

Cetera argumenta solvuntur.

ALIQUI recentiores argumentantur contra hanc nostram sententiam, ex eo, quod si res positiua durat per positiuam durationem distinctam successiuam, etiam res negatiua, v.g. carentia lucis & hominum, durabunt per durationes negatiuas successiuas, ergo negatio hominis, quæ fuit ab æterno, ab æterno etiam durauit per infinitas durationes negatiuas successiuas; sed repugnat motus successiuus ab æterno, ergo etiam repugnat ab æterno eiusmodi duratio successiuæ carentiæ, vel negationis hominis. Quod si dicas, eam negationem durare per durationem non successiuam, sed per suammet essentiam; tunc ipsi insurgent, Cur etiam & nos non idem dicimus, de ipsâ essentia hominis, scilicet, eam durare non per durationem distinctam successiuam, sed per se ipsam? Sicut enim homo est indifferens ad durandū hoc vel illo tempore, ita etiam

tam carentia hominis est indifferens, ut sit hoc vel illo tempore, est ergo quoad hoc eadem de utroque ratio. Non vrget hoc argumentum, licet non careat difficultate. Ei respondeo Primò, fortè potuisse esse ab aeterno motum successiuum (de quo Disputatio xvi.) quo manet omnino enodatum argumentum: admitterem enim tibi, ab aeterno fuisse infinitas durationes negatiuas successiuas. Respondeo Secundò, etiam si ab aeterno non potuerit esse motus successiuus realis, adhuc potuisse esse motum successiuum negatiuum, id est, infinitas negationes successiuas durationis positivæ: nam licet negetur à pluribus posse actu esse infinitum hominum vel leonum actus, &c. non tamen negatur ab illis, nec negari potest, esse posse, imò existere de facto infinitum negatiuum, quia de facto existunt carentiæ & negationes omnium hominum possibilium, eorum qui à Deo cognoscuntur; qui cum sint infiniti simpliciter, necessarium est, ut carentiæ eorum, quæ omnes actu dantur, sint infinitæ: ergo non quia negetur possibilis ab aeterno successio entium realium & positivorum, idè debet negari successio negationum. Ratio est, quia repugnantia (si quæ sunt quæ dantur in infinito positivo, vel in aternitate positivæ successivæ) non dantur in infinito negatiuo, vel in successione negatiuâ, quia hæc verè nihil sunt, imò eo ipso quòd detur repugnantia infiniti positivi, datur necessitas existendi in infinito negatiuo, id est negationum infinitorum illorum individuum quæ infinitum constituerent, si actu existent.

Respondeo Tertiò, eos qui negant ab aeterno potuisse produci motum successiuum negatiuum, facile posse imò & teneri negare, fuisse ab aeterno durationes successivas carentiæ hominis vel leonis. Ratio est, quia in tantum requirimus durationem distinctam ab aliquâ, in quantum hæc est indifferens ad durandum in hoc vel in illo tempore. Quòd si ex sua essentia sit alligata alicui tempore, non eget duratione distinctâ, ut duret in illo: ob quam rationem à Deo negavimus durationem distinctam: ergo cum ea carentia hominis ex se sit essentialiter alligata aternitati à parte antè in eâ sententiâ (quandoquidem non potuit esse homo ab aeterno) inde fit ut ea carentia non duraverit ab aeterno per durationem distinctam, sed per suammet substantiam; in tempore autem, ex quo primum potuit existere homo, incepit eius carentia habere durationem distinctam, eò quòd tunc non esset ex sua essentia determinata ad durandum in eo tempore.

Quando autem incepit habere durationem distinctam, est difficultas omnibus communis. Respondeo, quando primum potuit à Deo produci homo, vel quando primò potuit incipere motus cæli, aut alia entia successiva.

Secundò & ultimò argui contra nos potest, virgendo adhuc primum argumentum. Nam duratio carentiæ Antichristi non distinguitur ab ipsâ carentiâ, ergo nec duratio ipsius distinguitur ab ipso Antichristo. Consequentia videtur bona à paritate rationis, ut dixi supra. Antecedens probatur, quia illa carentia Antichristi durat per carentiam durationis Antichristi; hæc autem carentia non distinguitur ab ipsâ carentiâ Antichristi, nec enim datur modò aliqua carentia Antichristi, aut eius durationis, quæ heri data non

fuerit, & tamen carentia Antichristi heri non durabat hodie, neque hodie durat heri; ergo sine vllâ mutatione in ipsâ carentiâ Antichristi, imò & sine vllò superaddito illa est indifferens, ut duret hodie & heri magis vel minus; ergo similiter sine vllâ mutatione in Antichristo poterit durare hodie & eras, magis vel minus; ergo nulla est necessitas illi addendi durationem distinctam. Primò observa, eandem esse difficultatem de vicatione: nam sicut carentia Antichristi durat per durationes distinctas, ita etiam vbicatur per vicationes negatiuas distinctas; & vbi cumque sit carentia Antichristi, habet carentiam vicationum omnium, seu habet omnes vicationes negatiuas; ergo *hic* erit vbi que, quia *hic* habet vicationes omnes sicut tu inferis, ergo *hodie* carentia Petri durat semper. Secundò pro solutione aduerto, sicut *hic* non potest esse vbiatio Romana, nec Romæ Pragensis, ita nec heri potuisse existere durationem hodiernam, nec *hodie* hesternam. vnde infero, negationem durationis hodiernæ, quam heri habebat Antichristi carentia, non fuisse priuationem, quia heri non poterat habere hanc durationem hodiernam proximè & immediatè; priuatio autem est carentia formæ in subiecto capaci. Ex quibus concedo argumentum, carentiam Antichristi habuisse heri negationem omnium durationum ipsius Antichristi, negò tamen habuisse priuationem omnium durationum: solum ergo heri habuit priuationem hesternæ durationis quam heri poterat habere, idè quæ heri non durabat omni tempore, quia illa carentia Antichristi solum durat per priuationes durationis Antichristi, non autem per negationes: vnde concludo, non potuisse illam carentiam durare magis vel minus heri vel hodie, nisi per plures vel pauciores priuationes durationis; sicut nec Antichristus potest magis vel minus durare, nisi per plures vel pauciores durationes positivæ; quomodo etiam dicendum est in vicationibus negatiuis eiusdem carentiæ.

SECTIO II.

Difficultates nonnullæ solutæ.

PRIMA sit, utrum duratio sit accidens, an modus. Hæc explicata est supra, dum egi de vicatione, est enim utriusque ratio eadem.

Secunda, utrum, vel quibus rebus conveniat duratio distincta. Hæc est eadem cum eâ quam de vicatione discussi, de quâ idem dicendum ob eandem rationem, scilicet subiectum, quod supponitur ante formam durans, habere durationem distinctam, illud verò, quod non necessario præintelligitur durans, ut materia respectu quantitatis, posse durare eadem duratione formæ receptâ in subiecto, & in formâ materiali. De potentia autem absolutâ possunt habere durationem distinctam ea omnia quæ possunt separari inuicem vel mutuo, ut res à re; vel non mutuo, ut res à modo: potest enim modus non durare per durationem sui subiecti. Pone v. g. materiam & formam vbicatam Romæ & Pragæ, vñionem verò præcisè existentem Pragæ, & vñionem in eâ materiâ & formâ pone diueras durationes, vñam Pragæ, aliam Romæ; ecce in hoc casu datur in rerum naturâ materia, forma, & vñio, quæ est modus,

modus, datur item duratio huius materiae, & nihilominus non durat vnio per illam, quia vnio, quae non est Romae, sed Pragae, non potest durare per durationem praecise existentem Romae; ergo duratio unionis non consistit formaliter in ipsa existentia unionis, & in duratione sui subiecti, quantumvis vnio sit modus; ergo duratio modi est distincta à duratione sui subiecti. Simili argumento vsus sum supra, vt probarem, modum habere distinctam vocationem ab vocatione sui subiecti. Fateor tamen, ibi clarius conuincere, quia existente subiecto in duobus locis, potest modus in vno solo existere. Ex quo clarissime inferitur, modum existere in hoc loco, non provenire à sola modi existentia, & subiecti vocatione. At, etiamsi ponatur subiectum in duobus locis, & duratio subiecti solum in vno, adhuc posset aliquis dicere, quod per illam distinctam durationem distans duraret ille modus eo instanti, nec tam facile posset redargui, etiamsi difficile quid doceret.

Aduerte, hic etiam eandem esse adhibendam limitationem, quam agens de vocatione notavi, scilicet, haec intelligenda de duratione quae sit propria solius subiecti, per quam dicimus, non sufficienter durare modum ei subiecto vnium. Vtrum autem sit vnica duratio, ex se cadens supra subiectum & formam, & modum, est alia difficultas. Vide quae in simili dixi de vocatione.

64 Tertia difficultas, an sit possibilis de potentia absoluta substantia aliqua per se ipsam durans. Probabilius puto, esse possibilem. Primum, quia id non repugnat, ex eo quod sit creatura; ipsa enim duratio est creatura, & durat seipsa. Deinde nec ex eo quod substantia sit, non enim apparet repugnantia vlla in eo, quod aliqua substantia affixa sit ex se tali temporis, ita, vt nisi in eo durare nequeat, praesertim si solum sit per vnium instantis: nam si sit per plura instantia, forte aliquis diceret, eam non esse possibilem, quia derogaret dominio Dei; non enim posset eam destruere quando veller, sed ea semel producta necessario esset ab ipso Deo conseruanda per totum illud tempus, quod essentialiter respiceret. Nihilominus tamen adhuc arbitror, eam etiam non repugnare, quia dominium Dei perfectissime saluatur in eo, quod fuerit in Dei potestate eam creaturam producere, cum sciret, eam semel productam debere durare per vniam horam: nam tunc, eo ipso quod eam voluit primum producere, voluit etiam vt duraret per horam. Quid autem mirum, si supposito, quod voluerit Deus illam producere, & durare per horam, iam non posset illam non conseruare per horam? Et sicut non derogat dominio Dei, non posse constituere Angelum in spatio indiuisibili per vbi respiciens ex se spatium extensum, ita non derogat dominio ipsius, non posse constituere Angelum, vel aliquam substantiam in tempore indiuisibili, per durationem nem respicientem tempus diuisibile. Potuit quidem Deus, si voluisset, non illam creare, semel vero creatam non potest non conseruare, quia id exigit ex sua essentia; sicut potuit non creare hominem, eo autem creato non potuit non producere illum animal rationale, quia haec est hominis essentia, nec minus est essentia ipsius durationis, tota eo tempore durare, quā hominis esse animal

rationalis. Ex his inferes à fortiori non repugnare durationem distinctam à substantia de se affixam tempori diuisibili, quae si concederetur alicui substantiae, necessario redderet illam durantem per spatium diuisibile, in quo non posset à Deo annihilari propter dicta, nisi in mea sententia, aiente durationem esse rem; posset enim tunc duratio sola conseruari, annihilata vnione ad substantiam, imò & ipsa substantia etiam annihilata.

Quarta difficultas, quid sit tempus imaginarium. Respondetur esse eius rationis, seu tempus à nobis fictum successuum ad similitudinem realem; sicut in simili dixi supra de spatio imaginario, vt in ordine ad illud tempus fictum explicemus diuersitatem durationum, eo quod non possimus illas in seipsis cognoscere.

Vltima sit circa diuisionem durationis. Diuiditur Primum in *increatam* & *creatam*. Increata est propria Dei, diciturque *aeternitas*, quae definitur à Boetio, *Interminabilis vita tota simul & perfecta possessio*. De hac Hurtado supra à §. 79. Patet Suarez 2. Tomo Metaphysicae, disputat. 5. & alij. Theologi verò 1. Parte quaest. 10. Ego hic breuiter dico cum Hurtado, & communi recentiorum, ex parte ipsius Dei, aeternitatem esse praedicatum quoddam intrinsecum & identitificatum, sicut est immensitas. Secundò, à nobis tale praedicatum explicari vocibus negatiuis, quia dicimus *quod non habet principium, nec finem*, quae forte fuit occasio P. Suarezio, vt putaret, etiam conceptum esse per negationem proprietatis; sed male, quia habere principium potius dicit negationem existentiae in praecedenti instanti, ergo non habere principium dicit semper extitisse, hoc autem positium quid est. Sicut habere finem, in re est negatiuum, id est, non habere postea esse; at non habere finem, in re est positium, id est, semper extitutum. Sicut ergo explicamus immensitatem Dei per ordinem ad spacia imaginaria, id est, quod nullum sit cui Deus non sit praesens; ita etiam durationem aeternam Dei explicamus per tempus imaginarium, id est, vt nullum fuerit, vel potuerit vel possit concipi instans, in quo non existat Deus. In re autem non pendet Deus ab hac consideratione, quae tantum est pro nostro modo intelligendi; vt durationem Dei, quam in se non videmus, aliquo modo apprehendere possimus.

Duratio creata alia est *temporaria*, alia *perpetua*. Temporaria est, quae habet principium & finem, vt duratio equi vel leonis. Perpetua est, quae caret vel fine vel principio, vel utroque. Omnis duratio creata ferè semper est successiua in se: diuersa enim est duratio hodierna hominis ab hesternā, etsi homo sit idem hodie ac heri (idem est in reliquis creaturis.) Dixi, *duratio in se*, quia non omnia subiecta durationis sunt successiua, sed permanentia, vt homo, lapis, ignis, &c. licet etiam dentur aliqua subiecta quae verè sint successiua, vt motus locales, & productiones successiuae instantaneae accidentium, & huiusmodi entia, absolute dicuntur successiua, cetera verò permanentia. Dixi etiam, *ferè semper*, quia supra docui, posse esse durationem indiuisibilem pro tempore diuisibili, illa autem non esset in se successiua.

SECTIO III.

De tempore reali.

71 **T**EMPUS reale est motus realis caelorum, iuxta cuius multipliciter dicimus multiplicari tempora, & per quam metimur aliarum rerum durationem, ideoque definitur ab Aristotele: *Tempus est numerus motus secundum prius & posterius*, id est, id, per quod metimur, quantum duraverit vel duratura sit res; sicut per vinam dimetitur quantitas.

Aduerte, tempus secundum intrinsecum quod habet, non dicere necessarium esse mensuram; quia licet nihil diuersum ab eo motu existeret quod cum illo mensuraretur, adhuc totus ille motus secundum intrinsecum omnia, quae habet, idem maneret: esse ergo mensuram, est in eo denominatio extrinseca ex voluntate hominum, volentium uti eis motibus ad mensurandas eas durationes; sicut in ramo est denominatio extrinseca à voluntate hominum, volentium esse signum

72 venalis vini. Vtuntur homines merito motibus caelorum ad mensurandas durationes aliarum rerum, quia hi motus sunt in toto orbe uniformes, & maxime noti, & vsque ad diem iudicii duraturi. Item & sunt successiui, nam in ordine ad eiusmodi mensuram non possunt deseruire res permanentes: quia cum haec semper sint eadem, non possumus ex illarum cognitione percipere, quot durationes seu instantia transierint. Quod si miraculose nunc cessarent motus caeli, non esset tempus reale, etiam si reliquae res eodem modo durarent, vel aequaliter, vel magis aut minus inter se ac modo, nihilominus tamen à nobis difficulter cognosceretur, quantum duraret quaelibet res, nisi vel per horologia, aut alia entia successiua aliquo modo id metremur ac distinguere-
remus.

73 Rogabis Primò, vtrum tempus ex natura rei à motu differat. Quaestio est de voce. Si per motum intelligas solam vibrationem, sine dubio motus distinguitur à tempore; quia duratio, quam dicit tempus, distinguitur ab vibratione: iuxta quam acceptionem poterit produci hodie idem motus caeli, qui fuit heri, quia eadem vibrationes quas caeli habuerunt heri, possunt hodie in illis reproduci; motus autem caeli in hoc modo dicendi est idem, ac vibrationes cum produ-

ctionibus earum & vibrationibus. Tempus autem hesternum non potest nec diuinitus reproduci, quia duratio hesternum essentialiter est affixa tempori imaginario hesterno; sicut vibrationem, quae sum praesens in hoc loco, non potest, nec diuinitus, in alio poni. At si per motum intelligas etiam productionem vibrationum, & successionem earum in duratione, tunc certum est non distingui à tempore reali; quia hoc consistit in ipsis durationibus successiuis. Ex his duobus modis loquendi prior est communior, & consequenter tenendus.

Rogabis Secundò, an per tempus reale possint mensurari omnes durationes, etiam rerum spiritualium. Respondeo Primò, durationem Dei, cum sit aeterna, nullam posse habere mensuram (idem est de alià quacunque duratione aeterna creaturae, si potest esse.) Secundò, reliquas posse mensurari per tempus reale; etenim per motus caeli cognoscimus, quot annis, mensibus, diebus, &c. durauerint homines, equi, vel plantae, &c. Idem est de Angelis, ob eandem rationem: nam de his qui initio mundi producti sunt, per motus caeli cognoscimus durasse quante aut sex millibus annorum. Quod si post creationem mundi alij fuissent producti, per eandem motus caeli possemus cognoscere, quanto tempore à primis excederetur eorum duratio, non secus ac in hominibus aliisque rebus materialibus, quia ad hoc per accidens se habet spiritualitas. Sicut & in ordine ad existentiam in loco, licet Angelus sit spiritualis, potest per locum realem cognosci quanta sit eius praesentia, imò in ordine ad nos clarius cognoscitur eorum duratio, quam praesentia.

Rogabis Tertiò, an tempus sit aliquid reale. 76 Ratio dubitandi est, quia numquam existit totum simul, sed per partes, quae seorsim non sunt tempus, sed partes illius. Respondeo, tempus esse verum reale ens, non simul existens, sed successiue: sicut & cursus Petri est ens reale, licet numquam existat totus. Idem est in aliis entibus successiuis, ut enim sint entia realia, sufficit existere à parte rei etiam successiue, quo differunt ab entibus rationis, quae nec successiue possunt existere. Fateor, si tempus conciperetur à nobis ut totum quoddam actu existens, fingendum tunc ens rationis, quia simul nec existit nec potest existere tempus, ob rationem dictam; idcirco in ratione totius actu existentis non est ens reale.

